



## **Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori**

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,  
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,  
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab  
innumeris mendis repurgata ...

**Riccio, Giovanni Luigi**

**Venetiis, M.DC.LXXIV.**

Praxis Compositionis Clericorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

## RESOLVT. CXVI.

- 1 In dimittente dignitatem, remanent adhuc illius vestigia.
- 2 Habens dumtaxat honoris vestigia pristinae dignitatis nequit constitui synodalis Index.

An Index Synodalis possit constitui ille, qui dimisit dignitatem.

**D**ubitar an ille, qui dimisit aliquam dignitatem, possit nihilominus constitui Index synodalis: ratio dubitationis est valde potissima, quia in dimittente aliquam dignitatem remanent aliqua illius vestigia in memoriam antiquae dignitatis, hoc est nomen, seu honor, & praetatio honoris Ioan. de praet. ad l. 1. & 2. C. de pret. cum alijs citatis per Germon. de indult. §. etiam ex eo num. 74. quae planè vestigia faciunt ipsum honorarium, l. 2. Cod. vt dignit. ord. seru.

Respondendum videtur negatiue, nam quamuis concedatur aliquas reliquias, & honoraria remanere in huiusmodi dimittentibus officium cum dignitate, quod tamen pretio, aut suffragio non fuerunt adepti, quo casu nedum cessaret dignitas cum officio, verum etiam omnes reliquiae, & nulla remanerent vestigia, l. vniuersi, & ibi Bart. Plat. & Rebuff. C. de legat. lib. 10. quam allegat Germon. vbi supra n. 79.

Attamen huiusmodi vestigia conceduntur sine praedictio tertij, & sine aliquo exercitio precedentis dignitatis, nec tales dimittentes, & honoraria habentes praesentur vacantibus in eadem dignitate; tamen si praesentur vacantibus in dignitate inferiori Germon. d. §. etiam ex eo num. 74. & seq. nec huiusmodi vestigia afficiunt, vt in terminis reservationis beneficij decidit Rota coram Oriolen. & est decis. 70. num. 11. par. 1. diuersor. vbi dictum fuit, quod huiusmodi vestigia non sufficiebant ad inducendam reservationem beneficiorum, Germon. d. §. etiam ex eo num. 81. & ex his tenerem non posse deputari in Iudicem Synodalem illum, qui habet dumtaxat vestigia honoraria.

## RESOLVT. CXVII.

- 1 Nemo promouendus est ad dignitatem Canonicatus ante vigesimum secundum annum, fallit in Doctoribus.
- 2 Index non potest constitui minor 21. annor.
- 3 Princeps ei, cui magistratum dedit, omnia agere decreuit.

Quae Aetas requiratur in Iudice Synodali.

**V**idebatur illam aetatem requiri, quae in Doctore exigitur: nam Concilium Trid. sess. 24. de reformat. cap. 12. vers. ad ceteras, statuit neminem esse promouendum ad dignitates, vel Canonicatus in Cathedralibus, qui constitutus non sit in 22. suae aetatis anno, & nihilominus Doctores possunt fieri, & doctoratus dignitate decorari, vt obseruat Anchar. in proemio sext. num. 5. si sint in aetate 20. annorum per cap. cum vigesimum 41. ff. de off. de legat. & in l. quidam consulebant 57. ff. de re iudic. quoniam, & in aetate 18. annorum per l. 1. §. initium vers. pueritia, ff. de postulando; cum itaque Index non possit constitui minor 21. ann. per textum, & glof. in d. l. quidam, & d. cap. cum vigesimum, quod in eiusdem legis declarationem successit, teste Butrio in cap. fin. de offic. delegati, Doctor verò, vt vidimus possit esse minoris aetatis; sequitur proinde, vt sit incapax deputationis in Synodalem Iudicem. Nec obstat l. cum prator §. non autem vers. natura, iuncta glofa ibi vers. impubes

de iudic. quae annuit, vt quis possit esse Index quamuis sit minor 20. annis: imò, & 18. siquidem intelligenda est quando Princeps faceret Ordinarium, vel Delegatum Butr. vbi supra, nam Princeps ei, cui magistratum dedit omnia agere decreuit, dict. l. quidam 57. de re iudic. Nec etiam releuat, quod valet quando partes scientes eum esse minorem, in illum tamen consentiunt, quod fieri potest in maiori, non autem in minore 18. annis, nam haec ratio non militat in Iudice synodali; quippe qui non deputatur a Principe, neque de consensu partium, & sic non intrat illa dispositio.

## PRAXIS COMPOSITIONIS Clericorum.

## RESOLVT. CXVIII.

- 1 Pena infligitur iuxta delicti mensuram, & num. 4.
- 2 Lex humana adest supra legem Dei.
- 3 Delinquentes non sunt in pecunia puniendi.
- 5 Compositiones sunt indistinctae a Praelatis, & sic seruatur in Regno num. 10.
- 6 Bona auferens vitam auferre dicitur.
- 7 Auari magis cruciantur in poena pecuniaria, quam in corporali.
- 8 Poena pecuniaria imponi potest ab habente iurisdictionem.

An Episcopus possit suos Clericos delinquentes poena pecuniaria punire.

**A**d exclusionem impositionis poenae pecuniariae, & sic pro negatiua sententia adducuntur infra scripta.

Primò authoritas Sacrae Scripturae Deuter. 25. vbi poena iuxta delicti mensuram: intelligenda est; pro mensura enim peccati debet esse plagarum modus, vt oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, cum de ratione iustitiae debet esse aequalitas, quae omnino in eius exercitio seruanda est. Quare si aliquis homicidij crimen commiserit, non aliter aequè punitur, nisi ipse patiatur idem, quod alteri per iniuriam intulit, sicut docet D. Thom. 2. 2. quest. 68. art. 4. At qui homicidij crimine poena tantum pecuniaria puniretur, non puniretur poena conuenienti, cum poena illa non infligitur iuxta sceleris mensuram, quod proprium est iustitiae punitivae. Hinc Archidiacon. in cap. duo ista 23. qu. 4. verbo cadet, asseuerat non esse valida statuta, vel consuetudines Ciuitatum, in quibus est limitatum quantum debet soluere pro poena homicidij arg. cap. ex parte, de consuet. leg. si vnus §. pacta, ff. de pact. Ad hoc facit, quod talis debet mori, dict. cap. duo ista, & lex humana non est supra legem Dei, sed subius cap. 1. dist. 10. sic etiam tenet Host. & not. extra de consuet. cap. quanto. Hinc etiam Card. in cap. 3. de poenis dicit non licere, & perniciosum esse siue ex lege, aut sententia, vel ex decreto Iudicis indigere, seu exigere poenas pecuniarias pro criminibus tolerandis, ne Praelati potius lucrum proprium, quam criminum venationem venentur (v.g.) imponere annum censum concubinaris, quia eo soluto ipsi criminosi in sceleribus, & peccatis perseuerarent. Ita animaduertit Ioann. Driedo de lib. Christian. pag. 91. refert Couarr. lib. 2. variar. resolut. cap. 4. vers. secundum, num. 8.

Item facit text. in c. vt clericorū, de vita, & honest. cleric. & in cap. irrefragabili §. vlt. de off. ord. per quae iura habetur, quod delinquentes non sunt in pecunia puniendi, quia personae delinquent, & non pecunia, vt §. oportet, collat. 3. de mandat. Princip. quare poena suos

suos debet sequi Authores, leg. sancimus, Cod. de penis. Hinc Isidorus; citò violatur auro iustitia, nullamque reus pertimescit penam, quam scit pecunia posse redimere cap. pauper, 1. 1. quæst. 3. & Host. in sum. tit. de offic. ordin. §. quid pertinet, num. 4. dicit, quod delicta debent puniri secundum statuta canonica, & non secundum quantum pecunia.

Præterea, ita etiam præsi Iuriconsulti, ut Doctor. in l. preses, C. de transact. Luc. de Penna, quam optimè in l. 1. C. de defensor. lib. 12. hoc idem affirmat, penas corporales in pecuniarias non posse commutari, mandatur enim Iudicibus regulariter, ut iustitiam faciant; Hinc iurant, noxijs secundum leges inferre supplicia, ideoque non videtur ex hoc eis permissum, ut de penis pro maleficijs debitis componant, quia sicut austeritas in Iudice est detestanda, facit text. in cap. alligant 26. quæst. fin. Sic etiam nimia clementia, leg. respiciendum, ff. de penis, leges enim non in pecuniam, sed in corporibus delinquentes puniunt cum debeant esse criminibus proportionata, ut iuxta culpæ mensuram sit plagarum modus; quia nihil ad perpetranda delicta tantam subministrat confidentiam, ac audaciam, quam facilitas penæ corporalis euadendæ, cap. illud 16. quæst. 1. & hoc præcipue locum habet secundum canones, scilicet, non posse fieri compositionem de iure Pontificio, cum crimen manifestum appareat, vel fama super crimine delinquentem vexet; imo etiam de iure Cæsareo non debet fieri compositio cum hominibus malæ conditionis, & famæ, qui malefactor est personaliter puniendus, ut etiam sanxit cap. Regis Roberti, incip. Ad peruersorum refrenandam audaciam. Item est Pragmatica Caroli Quinti incipiens: Mandamus. Licet hodie aliter res se habeat, qua peruersi officiales (salua pace bonorum) non personam, sed marsupium suspendunt, & ideo delinquentium numerus excrescit, quare Officiales, & Barones se, & eorum animas damnant, ut notat Pugnati. in Pragmatica Regni 4. num. 154. sub tit. de falsis testibus, & per Carauit. tit. 272. num. 8.

Contrarium tamen seruatur in praxi; Nam Prælati faciunt compositiones indistincte, quæ quidam praxis fundatur, nam non negatur posse infligi multam pro delicto, & etiam homicidio ex causa, Gamma. dec. 35. n. 8. Afflict. dec. 1287. Piateg. in praxi p. 2. c. 4. num. 97.

Ita ut debito modo fiat, iuxta personarum, & criminum qualitates, nam per oblationes pecuniarum, atque bonorum, criminosi deterrentur, & coercentur, cap. si nos, 23. quæst. 3. vbi glos. versic. vel pecunia.

Dicitur enim quodammodo vitam auferre qui bona tollit, cap. si quis obiecerit, 1. quæst. 3. Quinimò vbi iusta ratio compositionis poscit, peccat Iudex, cum reo hoc petenti denegat, cap. fraternitatis, 34. dist. & hominem paupertas, & auaritia facit eos magis detertere, cum auari, & pauperes magis cruciantur in pena pecuniaria, quam in corporali, iuxta leg. properandum, vbi scribentes, §. si autem vtrique, Cod. de Iudic. glos. in capit. 1. §. si quis, versic. certum de pact. Nouarius qui plura in hac re colligit de election. fori quæst. 29. section. 2. in vltima impressione.

Item quia habens iurisdictionem potest imponere penam pecuniariam cap. qui Subdiaconum 17. q. 4. Archid. in cap. si nos 27. quæst. 4.

#### RESOLVT. CXIX.

- 1 Compositiones fiunt tempore Capituli Sede vacante.
- 2 Iurisdicção Episcopi denoluitur ad Capitulum Sede vacante.

- 3 Capitulum Sede vacante representat Episcopum.
- 4 Nuncius Regni Neapolis Sede vacante non applicat penas pecuniarias Camera Apostolicæ.

Capitulum Sede vacante, an possit facere compositiones, & applicare locis pijs, vel Nuncius Apostolicus possit illas applicare Camera Apostolicæ.

Seruatur in Curijs Ecclesiasticis indistincte, quod quando Ecclesia vacat Capitulum Sede vacante, vel eius Vicarius Deputatus soleat pro criminibus dignis compositione facere compositiones, & ita pluries me affidente Vicario capitulari in curia Archiepiscopali Neapolis fuisse practicum reminiscor, sicque ibidem est inueterata consuetudo, cum Episcopi iurisdicção Sede vacante ad Capitulum deuoluitur cap. vnic. & ibi glos. de maiorit. & obedientia in cap. Roman. conf. 506. num. 13. in fine, Federic. de Senis conf. 30. num. 3. Molin. de iust. & iur. tractat. 5. disput. 1. 1. num. 1. 3. & 10. taliter quo sicuti licet Episcopo has compositiones facere, ita etiam nec id poterit denegari Capitulo Sede vacante, quod quousque durat sedes vacans representat Capitulum, & agit, quæ Episcopus facere poterat, Nouarius forensi qu. 103. lib. 1.

Et in eadem Curia Archiepiscopali Neapolitana fuit dictum, quod Sede vacante non potest Illustrissimus Nuncius Apostolicus huius Regni compositiones, & alias penas applicare Camera Apostolicæ, sed illas poterit Vicarius Capitularis statim assignare locis pijs, ut per Genuen. in praxi eiusdem Curia Archiepiscopalis cap. 68. n. 4. & ita tempore meo indistincte seruabantur in dicta Curia Archiepiscopali cum ibidem Capituli Vicarius essem.

#### RESOLVT. CXX.

- 1 Compositio est facienda cum causa.
- 2 Cause compositionis faciendæ, quænam sint, & num. 3. 5. 6. 8. 9. 10.
- 4 Minori delinquenti quæ pena imponatur.
- 7 Temporis lapsus minuit penam.

Causæ iustæ quænam sint, ut Episcopus valeat compositiones facere, & punire Clericos pena pecuniaria.

Nouarius in suo nouo Commentario ad pragmaticam Regni 89. Capitulum sect. 2. cap. 13. a n. 9. cum pluribus sequentibus, affirmavit compositionem debere fieri cum causa, & causas per plures cumulat ex quibus compositio licite fieri potest, quarum practicabiliore hic adducere deliberaui.

- 1 Prima igitur iusta causa compositionis faciendæ est, vbi Clericus reus esset in senectute constitutus ad textum in cap. tanta 86. distinct.
- 2 Secunda, vbi Clericus esset minor, l. auxilium, ff. de minoribus, minor enim ætas semper opitulatur reo, vnde minori delinquenti pro pena mortis imponitur deportatio, vel relegatio in insulam, vel ad triremes per decennium, ut apud Grammat. dec. 23.
- 3 Tertia est, vbi Clericus esset nobilis, quia ratione nobilitatis pena corporalis posset commutari in pecuniariam, l. sed si vnus, §. quidam ff. de iniurijs, per plus enim operatur nobilitas, de quibus latius est videre penes Tiraq. in particulari tract. de Nobilitate.
- 4 Quarta est tempus, quia illud dicitur iuxta causam faciendi compositionem, l. quærelam, C. de falsis temporis enim lapsus minuit penam, l. si diutino ff. de penis inde homicidium per decennium non punitur ita acriter, Abb. in cap. cum habere de eo qui dux. in matrimonium. quam pollucet, per adult.

8 Quin-

- 8 Quinta causa est, vbi plures sunt delinquentes, & ignoratur quis verè deliquit. c. non potest 23. quæst. 4. c. quociens 1. q. 7. quia ratione incertitudinis potest deueniri ad compositionem.
- 9 Sexta causa est, vbi crimen fuit commissum per simplicitatem cap. ex suarum de fortileg. ob ebrietatem l. omne delictum, §. vnum ff. de re milit. propter iram c. ira 11. quæst. 3. & ob similes causas, quæ iudicio prudentis iudicis reponuntur, qui iuxta falli qualitatem se gerere debet.
- 10 Septima causa erit, vbi Clericus reus non esset solitus delinquere, nam ob delicti singularitatem licet deuenire ad compositionem cap. licet 45. distinct.

## RESOLVT. CXXI.

- 1 Compositio est facienda habita remissione partis, & vbi pena pecuniaria magis timetur num. 2.
- 2 Facile deuenitur ad culpas, vbi est venialis gratia.
- 4 Compositio fit gratia correctionis.

Vt Episcopus valeat Clericos delinquentes componere quæ obseruanda sunt.

**A**duertendum est pro articuli dilucidatione quod ad finem, vt talis compositio licet fiat plura sunt consideranda, & interuenire debent.

- 1 Et primo vt fiat parte concordata hoc est cum remissione partis, quod etiam procedit in Principe. Et enim licet supremus Princeps, vel eius iura habes possit remittere penas ex aliqua causa l. relegati in fine l. mortis, §. sed enim l. Diuus l. 2. & l. ad bestias ff. de penis notat Pedem. decis. 101. Si tamen hoc faceret absque remissione partis peccaret mortaliter, vt dicit Clarus lib. 3. §. fin. de hoc habetur per D. Thom. 2. 2. quæst. 67. artic. 4. & in 3. par. quæst. 46. art. 7. & latè scribit Nouarius in pragm. Regni 4. de compositionib. Thesaur. decis. 21. Caball. resolut. crim. cas. 58. & 157. Cabed. dec. Lusit. 75.
- 2 Secundo requiritur, quod pecuniæ compositio tunc demum fiat quando ea pena magis timetur, quam alia cap. cognouimus 16. quæst. 2. c. quoniam, vt lite non contestata, Abb. in cap. irrefragabili, §. vltimo, vt lite non contestata, quia secundum August. siue plectendo, siue ignoscendo hoc solum bene agitur, vt vita hominum corrigatur 23. q. 5. ca. prodest, quia semper a principio illa pena imponenda, quæ magis timetur. Hinc diuitibus cum magna cautela, & prudentia illa imponenda est, solet enim præstare delinquendi occasionem maximam, vnde dixit text. in c. pauper 11. q. 3. quod nullam reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat; crescit enim multitudo peccandi, cum redimendi peccati spes datur, & facile itur ad culpas, vbi est venalis ignoscentium gratia, vt scribit Arnobius lib. 7. aduersus gentes.
- 4 Tertio quod fiat gratia correctionis, hoc est pro corrigendis excessibus ex fomite charitatis. Hostiens. in c. vt clericum num. 7. de vit. & honest. cleric. quod tunc dicit ipse præsumam, vbi Iudex ipsam sibi non retinet, nec imburfat, sed pauperibus erogat, & ad pios vsus, quemadmodum tradunt Abb. in c. 2. de success. ab intest. Fely. in dicto cap. irrefragabili §. ceterum. Hinc Guliel. Bened. in 2. part. verbo. An occidere peccatores liceat num. 28. valdè reprobatur compositiones, & dicit quod male faciunt Episcopi, & ceteri Ecclesiæ Prælati, qui omnia delicta conuertunt in pecuniam, propter auaritiam, quia eo casu licet imponant penam pecuniariam, vt non sustineant clericos in delictis, tamen quia hoc faciunt moti ex auaritia, vt possint sibi imburfare non licet. Io. Andr. & Franc. in c. pro humani de homicid. in 6. glosa in c. quoniam vbi Gemin. distinct. 18.

## RESOLVT. CXXII.

- 1 Compositio cadit in criminibus leuibus.
- 2 Compositio in quibus delictis denegatur.
- 3 Episcopus non dispensat in delictis ab adulterio supra.
- 4 Pena degradationis quando detur.

An in criminibus grauioribus Episcopus possit clericos componere.

- V**T probat Castrenf. conf. 348. colum. 1. non potest Episcopus, vel eius Vicarius facere compositiones, nisi in criminibus leuibus, vel extraordinariis, in quibus est locus pœnæ extraordinariæ, non autem in criminibus grauioribus, vt in illis in quibus taxata est pena a iure, vel vbi agitur de pena depositionis ab ordine, vel priuationis ab officio Iacob. Sbroz. de offic. Vicar. lib. 2. quæst. 3. Nouarius in nouell. pragmat. 89. c. 13. in principio sectione secunda. Nec etiam quando crimen esset manifestum, vel fama super crimine delinquentem vexaret; Sic nec compositio fieri potest per officiales sæculares super crimine, pro quò venit mors naturalis imponenda, vel ciuilib, vel pena membri obfessionis infligenda, nisi officiales Proregem consulant, & per Collateralem Consilium expediat prouisio quod componatur, Nouarius in consil. ad pragmat. 89. c. fess. 2. c. 13. & secundum Afflic. in decis. 287. debet esse pars spontè concordata, quia si probaretur remissio partis per vim, & metum, secus esse, vt dicit Iulius Clarus fol. 53. col. 1. fallit tamen in quibusdam casibus, in quibus fieri non posset, vt in crimine hæresis, aut læsæ Maiestatis, vt not. in cap. incipien. Robertus, & in crimine sodomix, & blasphemix, vel nisi esset imponenda pena degradationis clerico, quia tunc non potest commutari in temporalem, Gemin. in d. c. quoniam: & ratio est, quia Iudex non potest commutare penam iuris in pecuniariam, nisi sit talis, qui possit super crimine dispensare, vt est glos. not. in c. licet de penis, sed Episcopus in delictis non dispensat ab adulterio supra nisi in casibus in iure expressis capit. at si clerici de Iudic. ideo talem penam commutare non potest in delictis, Geminian. ibi, pena verò degradationis in his casibus debetur, primo in homicida proditorio Sacerdotis cum spoliacione bonorum. Secundo in parricida. Tertio in Ecclesiæ incendiario. Quarto in eo qui spoliavit Ecclesiam rebus deputatis ad seruitium diuini. Quinto in eo, qui ordinauit prodere patriam. Sexto in homicida assassino. Septimo in committente plura delicta atrociora, vt homicidia, latrocinia, falsitates; ita Petr. Anchor. in c. ea quæ de regul. iur. quem sequitur Abb. in c. at si clerici de Iud. Hinc Luc. de Pen. in l. 1. colum. 18. de desertor. lib. 12. dicit quod non est admittenda compositio in posterum de illis, quorum vita probabiliter nullatenus est corrigenda facit text. in cap. prodest 23. quæst. 5. 24. quæst. 1. c. legatur. Sic nec qui beneficium compositionis sibi quadam suppliciosa temeritate nititur, & nec is qui assidue peccat. l. 3. in fine C. de Episcop. audiend. cum nec Deus assidue peccanti de facili misereatur c. draconi sunt in fine dist. 93. vbi glosa dicit assidue, id est iterato, quia vulnus iteratum tardius sanatur c. inanis de pœnit. dist. 3.

## RESOLVT. CXXIII.

- 1 Compositio facienda est ante sententiam.
- 2 Pontifex, & Rex post sententiam possunt compositiones facere.
- 3 Sententia Vicarii cum clausula salua moderatione, & commutatione Episcopi valet, & ita seruatur Neapolis.

Episco-

Episcopus an possit facere compositionem, & imponere penam pecuniariam post sententiam.

## RESOLVT. CXXV.

- 1 Cap. dilectus de offic. ordin. qualiter intelligatur.
- 2 Pena pecuniaria an possit per Episcopum retineri.

Facta compositione de pecunia soluta quid facere debeat Prælati.

**D**icit Gnglielm. de Bened. in tertia parte in verbo an occidere peccatores liceat, sub nu. 28. quod vile est post sententiam condemnatoriam personæ recipere pecuniam.

1 Vnde non licet Episcopo compositionem facere, nisi ante sententiam, nam deinde prohibetur, gloss. in l. 1. ff. ad Turpilianum, Graff. conf. 1. nu. 15. de penis, quem refert, & sequitur Nonarius in comentario ad pragmaticam Regni 89. c. sect. 2. c. 13. post enim sententiam compositiones facere non licet, nisi Pontifici, vel Regi, Archidiacono, in cap. Proconf. 22. quæst. 4. & in c. circumsiones 23. q. 5. Lucas de Pen. in l. 1. colum. 11. de desertoribus lib. 12. Imò ampliat Graffius loco citat. non excusare Dominos Coepiscopos reservationem potestatis in sententia sibi faciendi gratiam, & diminuendi penam, nam hoc fieri non posse firmat ex Bald. in l. 1. c. de calumniatoribus.

Sed id non seruatur in Curia Archiepiscopali Neapolis in qua per Dominum Vicariū in sententijs semper solet apponi clausula in fine, salua moderatione, & commutatione Illustissimi Archiepiscopi, quam sententiam valere probat Genuesi, in prax. eiusdem Curie c. 48. num. 3. in impressione Roman. ex Bald. in auth. interdicimus, C. de Episcopis, & clericis, & Fely. in c. qualiter, & quando il 2. §. ad corrigendos de accusationibus. Quare ex huiusmodi clausula in sententia Episcopi solent se saluare, & compositiones post sententiam faciunt, licet tutius esset se abstinere.

## RESOLVT. CXXIV.

- 1 Episcopus in compositionibus vti paterfamilias se gerere debet.
- 2 Appellatur ab excessiua compositione.
- 3 Compositiones excessiue moderari possunt per Superiores.
- 4 Iudicium debet esse discretum.
- 5 Compositiones indiscriminatim non sunt faciende.

Compositiones excessiue factæ per Episcopum an possint moderari à Metropolitano Archiepiscopo.

**Q**uamuis iuxta quotidianam praxim in iure quoque fundatam, possit Episcopus aliquando componere clericos illique penam pecuniariam imponere.

- 1 Tamen in illa se gerere debet vti paterfamilias, & Pastor bonus, qui suas oues numquam excoiat alias.
- 2 si excederet in componendo, ita vt subditus censere- tur grauatus, in tali casu posset appellari ad Metropolitani Archiepiscopum, & ad alios Superiores in forma, quibus licebit, compositiones factas moderare, iuxta arbitrium boni viri.
- 3 Compositiones vero excessiue à Superiore moderari possunt, & potest ab eis appellari, vt in proprijs terminis docuit Nouarius in suo comentario ad pragmaticam Regni 89. capitulum sect. 2. c. 13. qui allegat Gizzarellum in decis. 57. vbi deciditur posse appellari, vt reducatur compositio ad iustum arbitrium, quia iudicium in iudicem collatum in faciendis compositionibus debet esse discretum glossa fin. in l. penult. ff. de receptis arbitris.
- 5 Nec compositiones indiscriminatim faciendæ sunt Graff. consil. 1. nu. 27. de penis, vbi dicit, quod diuites magis pecuniaria pena mulctandi sunt, quā alij, vt dixit idem decis. casu conscient. lib. 1. c. 20. num. 29. p. 1.

**H**ostiens. in tit. de officio Ordinarij, §. pertinet voluit posse Episcopum illam sibi applicare, & ita a multis intelligi text. in c. dilectus eod. titul. & in ca. referente de delictis puerorum, sequitur Afflict. in ca. licet de penis, Archid. in c. qui contra 19. distinct. & Bald. in l. 2. in 2. notab. C. de Episc. & clericis, quæ conclusio secundum Fely. in c. dilectus n. 8. intelligitur, vbi per statutum imponitur pena pecuniaria.

2 Vbi verò pena pecuniaria imponitur per sententiam, quamuis Episcopus possit eam retinere, honestius est, quod pro euitanda suspitione cupiditatis distribuit in pios vsus, vt voluit Abb. in c. de causis de officio delegati, Anan. in c. 1. in princ. de homicidio in 6. Card. in clement. 2. in verb. inquisitoribus in 2. quæst. de hereticis Bal. in rubr. de constitutionibus, col. 3. vers. quero si Episcopus, & ex modernioribus, Foller. in pract. crim. f. 145. Marant. 6. par. c. 1. nu. 62. Couar. li. 2. variar. resolut. c. 9. per totum, Diaz pract. crimin. Canon. c. 134. Syluest. verb. pena §. 6. nu. 21. Nauarr. in manuali c. 23. num. 101. notab. 6. Tabien. in verb. renunciatio n. 5. & Gomez. in tractatu de breuius num. 25. cum alijs de quibus per Zerulam in praxi Episcopali. verb. compositio, & Pialeg. similiter in prax. in tit. de penis pecuniarijs in princ. Quarant. in summa bullarij in verbo pena pecuniaria, vbi multa ad hoc adducit.

## RESOLVT. CXXVI.

- 1 Episcopus pauper sibi appropriat compositiones.
- 2 Elemosina quando applicari potest sibi, & quando restituitio num. 3.
- 4 Charitas ordinata incipit à se ipso.

An vbi Episcopus est pauper possit pecuniam ex decreto compositionis prouenientem sibi applicare.

**I**nter ceteras coartationes ad conclusionem suprapositam illa principalior est, vbi Episcopus esset pauper, & valde indigeret, quia firmant omnes supracitati, posse Episcopum pecuniam prouenientem ex decreto de componendo sibi applicare, & ita determinauit Sacra Congregatio, vt fatetur Nouarius in comment. ad pragmat. 89. capitulum c. 3. num. 53. vbi allegat nos in praxi resolut. 300. part. 1. & Graff. de arbit. confessor. c. 51. nu. 6. lib. 2. & alios vt per eum: quæ opinio fulcitur infra citandis fundamentis.

- 2 Primo, quia obligatus facere elemosinam nomine alterius potest sibi ipsi illam applicare, si est in necessitate, vt latè probat Feli. in c. irrefragabili §. cæterum n. 5. de offic. Ordinarij, Castren. in conf. 291. in princ. Abb. in conf. 34. in fin. Alex. in conf. 27. n. 3. & seq. vol. 1. Calder. conf. 33. de testamentis Minling. cent. 3. obseru. 93. Nauar. in conf. vnico de Mendicantibus valid.
  - 3 Secundo, quia obligatus ad restituendum pauperibus potest sibi retinere, tamquam vnus de pauperibus, idem Calder. in conf. 23. de testamentis, Feli. in confil. 27. nu. 6. & seq. Alciat. in conf. 39. latè Nauarr. in manuali confessorum cap. 17. num. 91. & idem in c. Præbiter 27. not. de penitentia distinct. 3. & in conf. vnico de medicantibus, validis, vbi propria materia.
- Tertio mouentur ex notabili doctrina Card. communiter sequuta in clem. ad nostram in fin. de hereticis, vbi Inquisitores, qui penas pecuniarias non possunt sibi

sibi retinere, sed in pios vsus conuertere permittitur tamen sibi ipsis applicare quando indigent pro necessitate officij, quod dictum valde commendat Cotta in suis notabilibus verbo Inquisitor. Duenas reg. 52. & Felin. supra num. 6. quibus addo text. in cap. non fateatur 66. distinc. & in c. quiescamus 41. dist.

4 Monentur quarto ex regula quod prima charitas incipit à propria persona, iuxta regulam traditam in leg. præles C. de seruitutibus, & aqua, cap. nisi specialis de auctoritate, & vlu palij. Surd. in decif. 232. num. 21. vbi ampliant in tantum vt quis ex ordinata charitate magis amet se in vngue pedis, quam aduersarium in vertice capitis, quia quis magis sibi quam alteri prouidere debet. l. si quis à liberis §. si quis ff. de liberis agnoscendis, vnde dolo facere non videtur qui se plus altero diligit, vt pulcrè per Crauet. in conf. 8. nu. 18. & conferunt, quæ pulcrè decedit Maltrill. in decif. 134. part. 2.

Ego tamen licet habeam Ecclesiam in sponfam satis pauperem, non solum mihi huiusmodi compositiones non applico, sed nunquam ad tales compositiones faciendas deuenio, sanius enim videtur delicta alia via castigare: semper enim mundus applicat huiusmodi compositiones cupiditati Episcoporum, illorumque auaritiæ, quæ semper est euitanda, nam hic sumus peregrini, & hospites, & aliam regionem inquirimus, quod si consideraretur, terrena vtique non tam fixo corde amarentur, vè igitur illis, qui ætate ingravescentes, mundanis etiam senescunt.

## RESOLVT. CXXXVII.

- 1 Legatum pro fabrica Ecclesiæ dicitur pium, nec de eo soluitur quarta.
- 2 Pœna pecuniaria non applicatur fabricæ cathedralis, licet secus aliarum Ecclesiarum num. 3, 4, & 7.
- 3 Diuersorum diuersum est iudicium.
- 4 Illatio non fit à diuersis.

Pœna perueniens ex decreto compositionis, an possit applicari per Episcopum fabricæ Ecclesiæ.

- R**atio dubitandi pro affirmatiua sententia est, quoniam si potest, & debet Episcopus pecuniâ ex compositione prouenientem locis pijs applicare, ergo & fabricæ Ecclesiæ cum sit causa pia reparare Ecclesiam, vt per Thomam, in tract. var. vltim. volunt. tract. 10. c. 29. vbi legatum pro fabrica Cappellæ dicitur pium ex Carrat. conf. 49. nu. 2. Alban. in conf. 71. vol. 2. & in lucubrationibus ad Bart. in l. illud ff. de legatis 1. vnde pro tali legato non soluitur quarta Episcopo iuxta tradita in c. fin. de testamētis, Quarant. in summa Bullarij in verb. quarta Episcopalis in fine, Maurus cum ibi additis in allegat. si & fuisse in Rota Romana resolutum, testatur Seraphin. in decif. 725. part. 1.
- 3 Verum circumfertur Sacram Congregationem Eminentissimorum Cardinalium declarasse non posse Episcopum pœnam compositionis applicare fabricæ Ecclesiæ Cathedralis, prout testatur Genuen. in praxi Cur. Archiep. Neap. c. 68. num. 2. in antiqua impressione Neapolitana, quia ad hoc sunt assignati redditus Episcopi c. ab omni de vita, & honest. Clericorum, sequitur eandem sententiam Pialeg. in praxi Episc. par. 1. c. 4. num. 97.
  - 4 Ex cuius quidem declarationis sensu satis apertè patet illam posse applicari aliarum Ecclesiarum reparationi, & fabricæ ex regula, quod dispositio limitata limitatum parit effectum, Seraphin. decif. Rot. 911. nu. 2. & dispositio limitata non extenditur. Card. Tusc. c. 61. 494. lit. D. & dispositio in vno casu nō debet extendi ad alij, ita quod diuersorū diuersū sit iudiciū,

l. inter stipulantem §. sacram. ff. de verb. oblig. Gratian. decif. Marchiæ 32. num. 8. & diuersa ratio reformationis interpositas C. de transact. & a diuersis non est faciendi illatio l. fin. in fine, & ibi Bar. ff. de calumniator. l. naturalem §. nihilominus ff. de acquir. possess. & consequentia non solet, nec debet fieri à re motis l. non hoc C. vnde cognat.

7 Quare dicendum est pro resolutione articuli cum distinctione, quod aut Episcopus vult pœnam pecuniariam, quam ex compositione habet applicare Ecclesiæ Cathedrali, & vtique non potest, vel illam intendit facere vertere in beneficium aliarum Ecclesiarū, ad quarum reparationem ipse de suo non tenetur, & tunc licet fieri potest huiusmodi applicatio, prout sepius scio fuisse practicum in Cur. Archiep. Neap. tempore Eminentissimorum, & Reuerendissimorum Cardinalium Aquauinæ, & Caracæ eiusdem Civitatis Archiepiscoporum vigilantissimorum, & vndique maxime piorum.

## RESOLVT. CXXXVIII.

- 1 Pœna pecuniaria non applicatur sacristiæ Ecclesiæ Cathedralis.
- 2 Ornare Sacristiam ad quem spectet.
- 3 Parium eadem est dispositio.
- 4 Via fraudibus non est aperienda.
- 5 Expreso vitiatum dicitur vitiatum tacitum.

An possit supracitata pœna pecuniaria per Episcopum applicari Sacristiæ Ecclesiæ Cathedralis.

- A** Deo Episcopus prohibetur ad eius beneficium pœnam pecuniariam, quam ex compositione aut recipere, vt nequeat pariter illam Sacristiæ Cathedralis applicare, prout ita multoties dum essem consultus, respondi.
- 2 Cuius opinionis ratio est, siquidem ornare Sacristiam Ecclesiæ Cathedralis, illamque de necessarijs providere spectat regulariter ad Episcopum de suo marsupio agere, quid si fortè concederetur compositiones applicare posse ibidem, vtique in eiusdem beneficium verteretur compositio, & sic diuerso nomine idem resuleret effectus, & eadem utilitas respectu Episcopi oriretur, quia idem est ad eius commodum applicare aliquid, vel ad alterius rei, si illam rem, & ipse quoque subuenire teneretur.
  - 3 Taliter quod sicuti prohibetur Episcopus applicare sibi, ita quoque & applicare nō potest rei, in quam ipse expensas erogare tenetur, militat enim eadem ratio in vtroque, ergo iure diuerso censeretur non debet leui, qui edes, ff. de vltim. cap. cognouimus 12. q. 2.
  - 3 quia parium est eadem iuris dispositio, & iudicium c. inter corporalia, & c. sicut ergo de translat. Episcop. & eadem est natura l. si locer in fin. ff. solut. matrim. & eadem est potentia, nec maior l. 1. §. veteres ff. de acquir. possess. l. si reus ff. de duob. reis, alijs si contrariū diceretur fieret fraus legi, & aperiretur via fraudibus, quod non est concedendum ad tex. in l. in fundo ff. de rei vendic. clem. 1. vbi Card. de vsur. quod enim in utilitatem meam expresse agere non possum, altera via tacita, & sub alio colore facere, nec debeat, imò non permittitur ex regula, quod expreso denegato denegatur tacitum in eo comprehensum, prout expreso vitiatum vitiatum quoque tacitum l. 3. §. fin. in fin. ff. de seruit. rustic. præd. l. cum vnus §. planè ff. de bon. auctor. Iudic. possid. leg. 1. §. hæc verba, vers. prouide. ff. ac vis fiat ei, cum alijs iuribus, quæ adducit ad id Gomez var. resolut. tom. 1. cap. 3. num. 19.



RESO-

RESOLVT. CXXIX.

- 1 *Episcopus contribuere tenetur Seminario.*
- 2 *Seminaria à quibus sint erigenda.*

Pœna pecuniaria, quæ percipitur ex compositionibus  
An possit applicari Seminario puerorum.

**V**idetur pro negatiua parte concludendum, quia-  
dum nequit ad eius commodum Episcopus illam  
applicare, nequibit etiam ad alterius rei, cui ipse quo-  
que subministrare tenetur, eandem applicationem,  
facere.

- 1 Certum est enim, quod Seminario debet Episcopus  
ex sua, & Capituli mensa contribuere, vt habetur in  
Concil. Trid. sess. 23. de reformat. c. 18. vbi quod singu-  
larē Cathedralis Metropolitanæ, atque his maiores Ec-  
clesiæ pro modo facultatum, & Diocesis amplitudi-  
ne, certum puerorum ipsius Ciuitatis, & Diocesis, vel  
eius prouinciæ numerum ad hoc propè ipsas Ecclē-  
sias, vel alio loco conuenienti alere, ac religiose edu-  
care, & Ecclesiasticis disciplinis instituere tenentur,  
ad cuius Collegij fabricam instituendam, & ad merce-  
dem præceptoribus, & ministris soluendum, & ad alē-  
dam iuuentutem, ad alios sumptus detrahenda est  
portio, & pars ab Episcopo, de quo latè Episcopus  
Minorens. in sua praxi Episcopali. in verbo Semina-  
rium, Fulc. de visitat. lib. 1. c. 16. & n. 8. Gonzal. in regul.  
8. Cancell. gloss. 5. §. 7. num. 68. Monet. in tract. de di-  
tribut. quocid. par. 3. q. 3. a num. 13.

RESOLVT. CXXX.

- 1 *Pœna pecuniaria non potest conuerti in solutionem mer-  
cedis Vicarij.*
- 2 *Episc. tenetur de suo salarium dare Vicario.*
- 3 *Vicarius non potest petere salarium ab Episcopo succes-  
sore.*

Pœna pecuniaria habita ex compositione, an possit per  
Episcopum conuerti in solutionem mercedis  
Vicarij, & aliorum Officialium Curia.

- 1 **F**ertur Sacram Congregationem Eminentissimo-  
rum, & Reuerendissimorum Cardinalium celsi-  
tate non posse Episcopum pœnas pecuniarias, quas ex  
compositionibus facit conuerti in solutionem mer-  
cedis Vicarij, & aliorum Officialium Curia Episco-  
palis, prout ita testatur Genuen. in praxi Cur. Ar-  
chiep. Neap. c. 68. n. 2. in antiqua editione pag. 375.  
Piores. in praxi Episcopali. part. 2. cap. 4. num. 97.
- 2 Tenetur enim Episcopus de suo cōgruum salarium  
subministrare Vicario, c. si Episcopus vbi gloss. de offi.  
Vicarij. in 6. Segur. in director. Iudic. §. 1. c. 1. Sbroz. in  
tract. de officio Vicarij lib. 1. quæst. 55. vbi n. 7. idem  
firmat in Vicario Capitulari Sede vacante, nam ille  
debet habere salarium, sicut quilibet extraneus Vica-  
rius, & deducere expensas, quas domi facturus esset,  
tanquam reputatus præsens, & residens ob Ecclesiæ  
seruitium, Pauin. in tract. de potest. Capituli. Sede va-  
cante quæst. 10. num. 5. Quarant. in Summa Bullar. in  
verbo Capitulum Sede vacante vers. septimò dubita-  
tur, & ita in praxi fuit dubitatum in personam meā,  
tempore, quo à Reuerendissimo Capitulo Neapolita-  
no ob mortem Eminentissimi olim Cardinalis Ca-  
rasæ bonæ, & recolendæ memoriæ fui electus, & al-  
sumptus Vicarius Capitularis.

- Notabis tamen, quod Vicarius Episcopi defuncti  
3 non potest petere salarium non conuentum ab Episco-  
po successore pro seruitio præstito eius prædecesso-  
ris, Pat. decis. 43. lib. 2. Paris. in tractat. de resignat. be-  
nefic. quæst. 16. n. 53. lib. 1. Galefin. in Margarita cal.

conscientiæ in verbo Vicarius il 9. iuxta quorum sen-  
tentiam ego determinauit vti Iudex assumptus in  
quadam facti contingentia.

PRAXIS PRÆLATORVM  
Inferiorum habentium iurisdictionem  
quasi Episcopalem.

RESOLVT. CXXXI.

- 1 *Episcopus dicitur ordinarius in Diocesi.*
- 2 *Episcopus venit appellatione Diocesani.*
- 3 *Habens iurisdictionem quasi Episcopalem dicitur Dia-  
cesanus.*
- 4 *Prælatus inferior præscribit quæ sunt meri imperij.*

An Prælatus inferior habens iurisdictionem quasi  
Episcopalem dicatur Diocesanus.

- 1 **V**idebatur dicendum quod non, cum Episcopus  
tantum sit solus Ordinarius in Diocesi, gloss. in  
c. Prælatis, §. sollicitudo in ver. iurgia in fin. 25. distin-  
per text. in c. apibus 7. q. 1. & quod appellatione dice-  
sani veniat Episcopus tantum, & non inferior Prælatus.  
Franc. in ca. 3. in 4. notab. n. 3. ad med. de offi. Or-  
din. in 6. & ideo ipse solus concedit dimissorias, c. Cle-  
ricum 72. distinct. cū Ordinatio Clericorum ad Epi-  
scopos tantum pertineat, gloss. in c. extraneo 71. di-  
stinct. vnde non potest hoc pertinere ad Abbatem,  
quamuis habentem Episcopalem iurisdictionem. Re-  
buff. consil. 1. & 2. c. nullus de temporib. ordinat. lib. 6.  
Verum consultus contrariū affirmari verius, quod  
3 habens iurisdictionē quasi Episcopalem excluso Epi-  
scopo dicitur diocesanus, ex Felin. in capitul. cum  
olim 18. in principio versicul. secundo limita de præ-  
script. post gloss. in clement. 1. in verbo propriis de re-  
bus Ecclesiasticis non alienandis. Diocesani enim  
vario modo accipiuntur, aliquando pro Episcopis,  
aliquando pro aliis superioribus, neque Doctores  
contrarium sequentes excludunt, quod non veniant  
superiores, Mandos. regul. 16. quæst. 42. num. 3. ad me-  
dium, vers. sed aduertendum, cum etiam in materia  
cōcernente iurisdictionem. Diocesanus intelligi pos-  
sit de inferiore habente iurisdictionem quasi Episco-  
palem, Abb. in c. Ioannes colum. 2. & ibi latè Couarr.  
num. 1. vbi de veriori opinione testatur de testament.  
Felin. in cap. cum olim in principio de præscriptione,  
& solus Episcopus in Ciuitate sua dicitur Ordinarius,  
nisi aliud ex consuetudine iam præscripta seruetur,  
gloss. in c. perlectis 2. in verb. & iurgia in fin. 24. dist.  
4 Quare etiam dicimus, quod Prælatus inferior Epi-  
scopo potest præscribere ea, quæ sunt meri Imperij,  
& similem potestatem cum territorio. Archid. in cap.  
cum Episcopus de officio Ordinarij in 6. & de cogni-  
tione causarum matrimonialium, quæ præscribitur  
per inferiores Episcopo, quia hanc iurisdictionem  
exercebunt vbi consueuerunt ius reddere. Cald. conf.  
2. de præscriptione post principium, vers. & quod pos-  
sit, neque enim in Abbate ordinario hoc correctum  
est ex dispositione Conc. c. 20. sess. 24. de reformatio-  
ne, vbi inferiores prohibentur de huiusmodi causis  
cognoscere: nam intelligitur de inferioribus Episco-  
po subditis, prout ita practicari in Curia Romana te-  
statur Flores. Diez. de Mena quæst. 24. num. 25.

RESOLVT. CXXXII.

- 1 *Prælati inferiores quando possint in eorum subditos, quæ  
possunt Episcopi.*
- 2 *Exemptus appellatione Episcopi quādo nō veniat, & n. 4.*
- 3 *Verba Emanuel sã referuntur.*

An